DE CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. JULII A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS SEYDEL
NEOMARCHUS.

OPPONENTIBUS
A. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
O. MUELLER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
G. ASSMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

AVUNCULO

OPTIMO, CARISSIMO MAXIMEQUE VENERANDO

THEOPHILO SEYDEL,

JUDICII SUPERIORIS FRANCOFURTHANI CONSILIARIO ETC.

HASCE

QUALESCUNQUE STUDIORUM

PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

More institutoque majorum dissertationis conscribendae officium omnibus, qui summos in medicina et chirurgia honores ambiant, est impositum; cui officio quum sim satisfacturus, nihil est, quod scribendi consilium excusem. Si quis autem forte me interroget, cur materiam tironi nimis arduam et difficiliorem elegerim, tractavi hanc nullo alio consilio, nisi ut ipse

eam, quantum fieri posset, accuratissime cognoscerem. Exposui ut potui, itaque te, lector, oro, ut candidus judex et benevolus sis.

Medicos veteres morbum illum, cui nostris temporibus nomen chlorosis imponitur, cognovisse, inter omnes constat. Hippocrates, Galenus, Paulus Aegineta et alii hujus morbi mentionem faciunt, nam in iis, quae de obstructionibus viscerum tradiderunt, morbum nostrum commemorant, at non morbum quendam substantivum et sui generis agnoscunt.

Qua re factum est, ut huic morbo, quem alius morbi symptoma tantum existimabant, nomen peculiare non dederint. At etiam sunt apud nos medici, et ii quidem in rebus pathologicis non mediocriter versati, qui amenorrhaeae tantam symptoma chlorosin esse contendant.

Chlorosis modo sexui muliebri, eique pubescenti propria esse solet, et rarissime puellas pubertatem nactas infestat.

Nonnulli quidem medici et juvenes in chlorosin incidere posse affirmant, et imprimis aetate pu-

bescente cachexiam oriri, quae nullo modo a chlorosi differat.

Morbi nomina.

Huic morbo varia variis temporibus indita sunt nomina. Primi Bauhin et Varendé morbo nostro nomen chlorosis tribuerunt, quo omnes propemodum scriptores recentiores utuntur.

Vocabulum graecum χλοερὸς sive χλωρὸς significatione ambigua est, modo colorem ex pallido virescentem, modo pallidum aut subpallidum, modo luteum denotans.

Hippocrates nostrum morbum χλώρισμα vocat. Porro nuncupatur illisis (Avicenna), febris alba et virginum obstructiones (Mercatus), pallidi colores (Sydenham), icterus amantium (Le Blanc), morbus virgineus, febris alba (Sennert), chlorosis (Bauhin et Varendé), icterus albus (Etmüller), febris amatoria (Langius), pallor virginum, melancholia amatoria, anaemia chlorosis, hydraemia virginum, hyper-hydraemia virginum (Colombat), chlorosis pallida, weifses Fieber, weifse Gelbsucht, Bleichsucht, Jungfernkrankheit (Germani), icter blanc (Sauvages), la pâle maladie, pales couleurs (Francogalli), green siek nees (Angli), Maagd-Ziekte, Bleckzucht (Batavi).

Symptomatologia.

Chlorosis et anaemia chronica eundem characterem praebent, et omnia quae de anaemia dici possunt, de chlorosi pari modo valent.

Cutis decoloratio maxime in conspectum venit, facies prae se fert colorem pallidum, subviridem, luteolum ac prope luridum, haud raro cerinum; facies prae ceteris est tumida, palpebrae inferiores mox coeruleum induunt colorem, maximaque cutis immutatio circa labia et in genis est, quarum pallor cum rubore saepius alternat. Oculorum tunica albuginea apparet sordida, interdum subflava; glandula lacrimalis et lingua pallidae. Cutis simul flaccida et frigore horrida, quod, quum alii facile animadvertant, aegrotae ipsae tam aegre ferunt, ut temperiem calidam quovis modo provocare studeant.

Quum morbi symptomata ad summum evecta sunt fastigium, genae laxae, demissae, vultus languidus, membra totius corporis interdum oedoematosa apparent.

Musculorum tanta infirmitas est, ut omni vi elastica careant et levissimum quemque motum recusent. Oedoemata pedum prodeunt, est toto corpore anasarca potitur, quo tempore urina et jumentosa, pallida, pituitosa et parca, quae symptomata, conjuncta cum oedoematibus pedum, manuum et palpebrarum, anasarcam totius corporis certissime

comprobant. Tremor artuum, cordis palpitationes, dyspnoea et orthopnoea atque animi deliquium puellas hoc in studio morbi infestare solent.

Pulsum esse frequentem, nonnunquam frequentissimum (ict. 120 — 140 intra horae minut.) propemodum fere omnes pathologi inter se consentiunt; recte tamen adnotat Wolff, conquiescentibus puellis chloroticis saepissime esse pulsum rarum, sed levissima quaque actione corporis, ut lenta ambulatione, immo etiam loquendo accelerari.

Respiratio est tarda, difficilis, laboriosa, quisque animi affectus aegrotantes incitat, ut suspirent; qua propter Schoenlein haud veram dyspnoeam adesse ait, sed apnoeam; recte igitur haec respirandi difficultas asthmati nervoso interponenda esse videtur. Praeterea interdiu paene insuperabilis dormiendi puellis chloroticis est cupiditas, noctu autem inquietus nec recreans somnus. Nec raro etiam affectionibus hystericis, convulsionibus, epilepsia, catalepsia perturbantur. Aliae puellae chloraticae Veneris desiderio captae et onaniae deditae sunt, aliae contra a Venere omnino abhorrent.

Desiderium solitudinis plerisque aegrotis proprium esse solet, tristitia et lacrimae causis exiguis provocandae, saepissime etiam mortis desiderium hunc morbum prae ceteris indigetant. Menstruatio semper est alienata, aut menses omnino desunt, aut menstruatio est parca, serosa, mucosa. Perversionem nervi sympathici animadvertere possumus

digestione et sanguificatione depravata. Saepissime famem praeternaturalem et appetitum rerum aut non esculentarum, aut concoctu difficilium observamus, lingua muco albo obtecta esse solet. Cardialgia, nausea, flatulentia, vomituritiones, diarrhoea, saepius oriuntur. Sapor amarus, acidus, haud raro etiam foetidus existit. Alvus modo est obstructa, modo laxa.

Quod ad puellarum chloroticarum sanguinem attinet, per experientiam atque experimenta jam instituta invenimus mixtionem sanguinis in chlorosi maxime alteratam, sic ut globuli sanguinis et prae caeteris elementis cruor maxime minuti sint, et liquor sanguinis, quem vulgo dicimus serum sanguinis, praecipue praevaleat.

Foedich in sanguinis puellae sanae partibus mille invenit:

Cruoris	Seri	Fibrinae	Aquae	Ferri
124,00	86,01	25,11	756,87	8,01

in sanguinis puellae chloroticae partibus mille

Cruoris	Seri	Fibrinae	Aquae	Ferri
91,41	93,61	6,40	806,28	3,30

Fr. Simon recentiori tempore experimentis chemicis post venaesectionem institutis hance analysin sanguinis puellarum chloroticarum reperit:

sang.	chlorot.	sang. san.
Aquae	871,500 . . .	795,278
part. solid. . .	128,500 . . .	204,022
fibrinae	2,080 . . .	2,104
adip.	2,530 . . .	2,364
globulini . . .	30,860 . . .	103,022
album.	79,820 . . .	76,660
haemat	1,431 . . .	6,209
mat. extr. et sal.	11,000 . . .	12,012.

Lecanu hanc eruit analysin sanguinis puellae chloroticae

Aquae	Cruoris	Album. mat. extr.
862,40	55,15 . .	82,45.

Divisio morbi.

Secundum rationes varias chlorosis vario modo dividi potest, si potissimum morbi naturam atque ejus decursum respicimus distingui potest chlorosis primaria et secundaria, erethistica et torpida, simplex et complicata

a) Chlorosis primaria oritur ex universi corporis debilitate, organa corporis digestioni inservientia, adeo sunt debilitata, ut sanguificationis et chylificationis processus justo modo non procedat, unde fit, ut organismus laesa reproductione debilitatus, non justum cum utero contactum ineat, quo

in casu menses aut nulli apparent, aut si adsunt, fluxus menstruus parcus et semper irregularis est, ceteraque chloroseos signa in conspectum veniunt.

b) Chlorosis secundaria tum comparet, quando virgo eo usque sana et regulariter menstruans; morbis gravioribus afficitur, qui corporis reproductionem infestant atque debilitant, et eodem modo inter uterum et organismum disharmoniam efficiunt, quibus ex causis justa uteri functio ejusque vis vitalis et vigor evanescunt, menstruatio opprimitur et pallor chloroticus ceteraque chloroseos symptomata omnia prodeunt.

Multo autem majoris momenti est.

Divisio secundum characterem.

a) Chlorosis erethistica, cujus symptomata haec sunt. Magna irritabilitas, teneritas atque debilitas corporis universi, faciei color mutabilis, rubore cum pallore alternante. Animi perturbationes, corporis motus accelerati, cibi conditi et potus spirituosi congestiones ad caput et pectus, vertiginem, cordis palpitationes et anxietatem provocant. Exstant porro affectiones hystericae, spasmi omnis generis, vasorum et nervorum erethismus. Pulsus est celer, frequens, interdum duriusculus.

b) Chloroseos torpidae symptomata sunt: Habitus corporis phlegmaticus, cutis laxa, corporis

temperatura diminuta, extremitates frigidae, pallor funereus, horripilationes, pulsus debilis, parvus interdum tardus; digestionis debilitas permagna, anorexia, lingua muco albo involuta, status pituitosus, fluor albus, alienata et suppressa ciborum concoctio, appetitus ciborum aut nullus aut perversus, animi depressiones, moeror et tristitia, hydrops et quae sunt alia hujus generis.

c) Chlorosis simplex est nominanda, si non cum aliis morbis est complicata.

d) Chlorosis complicata est, si ejus symptomata cum symptomatibus variorum morborum congruunt. Huc e. g. pertinent tubercula, physconiae hepatis et lienis, obstructio glandularum mesaraicarum, uteri vitia, e. g. atrophia, atresia, induratio, scirrhus aliaque id genus.

Cadaverum sectiones.

Chloroticarum cadavera, si secta explorantur, omnia fere vitae instrumenta apparent pallida atque exsanguina. Interdum sectio nihil, quod alicujus momenti sit, ostendit. Musculi chlorosi defunctorum plerumque pallidi et macie permagna contriti inveniuntur. Interdum in pectoris cavo aqua, fluidum lymphaticum, pulmones degenerati, cor solito majus, laxum valvulae cordis et magnarum arteriarum induratae et deformes, hydrops pericardii

etc. reperiuntur. In abdominis cavitate hepar pallidum, glandulae mesaraicae induratae et saepissime degeneratae uterus interdum induratus vel etiam atrophicus, ovaria majora et minora saepius degenerata sunt reperta. Frequens medicorum est observatio sanguinem chloroticarum esse pallide rubentem et aquosum, pigmentum vero facile inde abluendum.

Aetiologia.

Permultae existunt sententiae atque conjecturae excellentissimorum in rebus pathologicis virorum de proxima chloroseos causa, quae valde sunt respiciendae; nullo modo autem his hypothesibus omnibus naturam morbi ipsam satis accurate investigatam et plane in lucem productam esse opinemur.

Sed priusquam ad chloroseos naturam exponendam redeo, de causis remotis, e quibus morbus noster ortum ducit, quae iterum distribui possunt in causas praedisponentes et occasionales, pauca dicam. Primum igitur mihi videtur de causis praedisponentibus, deinde de causis occasionalibus, tum de proxima morbi causa esse agendum.

Causae praedisponentes.

Duplex est genus causarum praedisponentium, sunt quidem congenitae vel vitae genere acquisitae,

et secundam characterem dynamicum vel erethicae vel torpidae.

a) Praedispositio hereditaria erethistica apparet, si constitutio corporis nervosa, cutis laxa, albicans, genae et labia rosaceo induta colore, crines plerumque flavi, tenues, molles, iris coerulea, habitus gracilis, omnium sensuum erethismus, cordis palpitationes, congestiones ad caput et pectus, et alia ejusdem generis locum tenent.

b) Praedispositio torpida. In hancce morbi formam imprimis eae puellae incidunt, quibus est constitutio leucophlegmatica, systematis nervosi atque vasculosi status torpidus, habitus pastosus, status pituitosus, corporis temperatura imminuta, pulsus parvus, mollis magis tardus, apparatus digestionis imbecillis et quae sunt symptomata alia huc pertinentia.

Praedispositionem vitae genere acquisitam provocat imprimis puellarum educatio physica et psychica ratione perversa. Quemadmodum morbi fere omnes chronici ipsa educatione omnique vitae conditione si non eliciuntur et excitantur, at orti semel accrescunt et latius spargi incipiunt, sic causae praesertim, quibus chlorosis provocatur, in tota vitae ab ineunte aetate institutae ratione quaerendae sunt.

Horn causas chloroseos praedisponentes ita exponit: „Teneritas atque debilitas universi corporis momenta praedisponentia exhibent, qua re

morbus celerrime puellas adgreditur, quae si ad pubertatis periodum prope accesserunt, rapidiora corporis incrementa experiuntur; speciatim vero offensio et hypersthenia systematis irritabilis inducitur. Quo rapidius absolvitur evolutio, eo facilius chlorosis puellas antea sanas adoriri potest. Frequentissime tamen dispositio ad chlorosin morbis praegressis, aut injuriis aetati infantili illatis efficitur: Namque puellae corpore gracili, fibra laxa instructae, quae teneriore aetate scrophulosis aut rhachiticis affectionibus, dyspepsia, helminthiasi etc. laboraverunt, quia reproductio admodum tarda est, imminente evolutionis periodo facillime in chlorosin incidunt."

Causae occasionales.

Maxima est causarum occasionalium copia. Imprimis huc spectant:

Animi affectus deprimentes, tristitia, moeror, sollicitudo, amor repudiatus, matrimonii anxium desiderium, familiaritas praematura cum sexu virili, onania, vita luxuriosa et mollis, spes prosperam vitae futurae conditionem promittens frustrata, irritationes psychicae, lectio librorum pravorum, in quibus amantium fata enarrantur, excessus in venere tam per coitum quam per onaniam, laboris et exercitii modici defectus, unde fit, ut puellae, vi-

tam otiosam et sedentariam degentes, ad omnes morbos chronicos et maxime ad chlorosin inclinent.

Frequentissimae etiam sunt causae, quae vim nocivam in cutem exercent, ejusque secretiones supprimunt: e. g. refrigerationes atque etiam permadefactiones subitae. Somnus justo longior, vestitus ineptus, cutis transpirationem minuens, respirationem impediens, ut ille usus perniciosus angustorum thoracum linteorum, huc sunt referenda.

Ad causas occasionales adjicendae sunt aëris mala constitutio et victus incongruus, pravus, crudus, sed parum nutrimenti praebens; aër humidus, paludosus, nebulosus chlorosi maxime favet. Deinde huc pertinent omnia, quae organismum universum debilitant, ut prae aliis morbis febris nervosa, febris intermittens et praecipue febris intermittens quartana, helminthiasis, scrophulosis omnesque morbi cachectici, ut hydrops, scorbutus, haemorrhagiae, menses profusi et quae sunt alia ejusdem generis. Denique vitia localia his causis relatis sunt addenda, atrophia et atresia uteri ejusque induratio et scirrhus, vaginae et hymenis concretio.

Causa proxima.

Causa propria, quae ex causarum remotarum conflictu exoritur, postremo mihi memoranda videtur.

Quod ad naturam chloroseos attinet, aevi cujusvis medici valde inter se dissidebant, eorumque opiniones, circa systema et theorias illas multas in medicina, semper diversissimae erant. Medici veteres in principii phlogistici defectu et in sanguine ipso atque in sanguificationis processu morboso et anomalo chloroseos essentiam propriam ponebant.

Galenus et qui eum sequuti sunt Fr. Hoffmann, Hamilton et alii medici, chlorosin deduxerunt ab adynamia organorum chylopoëticorum, nominatim ventriculi atque tubi intestinalis, provocantes ad vitiosam digestionem in hoc morbo obviam. Scire autem oportet, chlorosin haud raro prius apparere, quam digestionis perturbationes animadvertantur, has igitur pro causa habendas non esse. Multi alii, ut Sennert, Cullen, Tissot, Pinel astheniam accusant organorum sexualium et statum pathologicum proprium, qui ex catameniorum defectu prodeat G. van Swieten his verbis chloroseos naturam exponit: „In omnibus illis locis, ubi cutis abest, sanguinis colorem, per vasa tenerrima translucentem, observare possumus; uti in lingua, gingivis, ore interno, naso, oculorum angulis, adnata, palpebrarum interiori superficie etc.; quando tunc in his locis omnia pallida apparent, tunc novimus, viscidum in sanguine haerens non esse inflammatoriae naturae, sed lentae, pituitosae indolis. Ubi enim inflammatoria sanguinis tenacitas adest, omnia rubent, calent: ubi lenta pituita praedominatur, pal-

lor et frigus adsunt. Chylus enim omnis albus est, quando sanguinem ingreditur; debetque per circulationis efficaciam mutari in sanguinem rubrum: debilia autem illa corpora, dum hanc chyli mutationem perficere nequeunt, pallent semper. Cum chlorosi seu pallido morbo incipiunt laborare toties circa primam menstruorum eruptionem virgines, res haec evidenter patet: dum enim ad incrementi apicem pervenit muliebre corpus, incipit aequilibrium inter solida et fluida nasci: viscera interim chylopoëtica agunt ut ante, hinc gignitur plus boni liquidi: quod non auget vim corporis, sed molem movendorum, manente eadem causa motrice: hinc totum corpus iners fit, tumet, pallet; non ob jacturam sanguinis rubri, sed quia quotidie chylus albus sanguini affunditur, quem vires corporis non valent mutare in sanguinem rubrum. In hoc morbo semper illud glutinosum lentum nascitur, ut docet pastacea totius corporis mollities, pallor, inertia."

Rowley in sanguinis corruptela causam morbi nostri proximam, quae retentione et accumulatione illius, quem uteri vasa secernere debeant, nec minus sensibilitate minuta et cohaesionis solidarum partium vitio oriri videatur, collocandam esse persuasum habet. Cruorem sanguinis chlorotici, si cum lympha et sero comparaverit, valde imminutum se invenisse affirmat.

Stoll causam chloroseos proximam ponit in laxitate et debilitate solidorum et fluidorum.

Darvin in resorbentium et secernentium vasorum hepatis torpore et defectu mensium causam morbi nostri collocat.

Haase in torpore totius organismi in systemate arterioso, praesertim abdominali, quo normalis congestio sanguinis ad uteri vasa propelli nequeat, chloroseos naturam ponendam censet.

Puchelt venositatem sanguinis imminutam culpat.

Harles chlorosin judicat cachexiam veram systematis arteriosi et venosi, imprimis ovariorum et uteri, quae nitatur fibrina cruoreque sanguinis imminutis, sero sanguinis vero adaucto.

Osiander systema lymphaticum esse debilitatum dicit, quod potissimum in hepate et utero, in ventriculo et intestinis sit perspicuum, unde fiat, ut chylificationis et sanguificationis processus male procedat.

Richter in debilitata et imperfecta organisatione causam chloroseos proximam ponendam esse credit. Multo autem magis eorum opinio nobis accidet, qui (ut Andral, Bouillaud, Brachet, Trousseau) morbi nostri causam in asthenia systematis vasorum, in vitioso sanguificationis processu, qui inde eveniat, collocant.

Secundum Consbruch proxima chloroseos causa nititur vitiosa sanguinis mixtione, cruoris minorem copiam tenentis.

Walther paucis his verbis chlorosin exponit: Der Mangel an hinreichender Blutbildung hindert

das Uterinsystem seinen Blüthenzustand zu erreichen, daher Emenagoga um so mehr schaden, als sie das Uterinsystem in seiner Ausscheidungsfunction zu steigern vermögen, indem hier nicht in dem Cessiren oder dem unvollkommenen Zustande der Periode als solcher die Chlorosis liegt, sondern darin, dafs der Blutbildungsprozefs nicht einmal dem Individuum genügt, kaum erst, dafs er jenes überragte (Hufelands Journal 1836. St. 6. pag. 83).

Canstatt de causa chloroseos ait: Die Ursachen der Chlorose sind vollkommen die der Anaemie.

Nobis chloroseos natura ponenda esse videtur in sanguinis depravata et vitiosa mixtione, cruore defiente et sero abundante, cum chylificationis processu vitioso conjuncta.

Diagnosis.

Symptomatum relatorum et naturae chloroseos rationem habentes de diagnosi haud in dubio esse possumus, atque permutationem cum aliis morbis facile evitamus.

Accurata symptomatum comparatio, signa singulis essentialia, morbi initium ejusque decursus chlorosin ab aliis morbis facile distinguunt.

Prognosis.

Chlorosis est morbus chronicus. Exitus pro varia morbi conditione, complicatione et gradu varius habetur. Quodsi morbus recens ortus est atque leviorem gradum tenet, recta et apta curatione tam pharmaceutica quam diaetetica, impugnatur, et interdum jam intra paucas hebdomades sanitas restituitur.

Si puella eousque omnino sana et regulariter menstrua, constitutione robustiore praedita chlorosi afficitur, neque jam morbis gravioribus praegressis debilitata est, prognosis bona existit. Sin vero causae nocentes, e quibus malum ortum est, difficulter removentur, si morbus inveteratus, vel aliis morbis complicatus est, vel aegrota constitutione phthisica, imbecilli, vel causis praegressis debilitata est, non solum medico maxima sanandi difficultas, sed etiam aegrotanti vitae periculum affertur. Signa sanitatis rediturae sunt haec: faciei pallor evanescens sanguis quantitate et qualitate ad statum normalem reversus, pulsus pleniores, secretio mensium aut revertens, aut ad normam propius accedens, cordis palpitationes magis magisque evanescunt etc.

Therapia.

a) Curatio prophylactica. Quemadmodum cuique medico, qui morbos chronicos sanare instituit, ante omnia providendum est, ut morbi impetum ejusque perfectam conformationem prohibeat; sic etiam in chlorosi sananda curatio prophylactica altissimum locum tenet. Optimum atque certissimum praesidium sine dubio in educatione bona inest, qua et animi et corporis, vires bene excoluntur, et omnia stimulantia, sive mechanica, sive chemica, sive dynamica, sive psychica, vitantur, quae in systema genitale vim excitantem exserunt et cupiditates amoris praematuri provocant. Quando jam morbi appropinquantis vestigia in conspectum veniunt, medicus quam maxime prohibeat, quominus chlorosis in stadium morbi conformatum transeat. Praeterea plurimum confert ad chlorosin cavendam, si quavis ratione organismum ad perfectionem evehere studemus et omnia, quae contrarium efficiunt, evitamus.

b) Curatio therapeutica iterum dividi potest in diaeteticam et pharmaceuticam.

α. Cum *Curatio pharmaceutica* sine regimine diaetetico nullum auxilium ferre possit, diaetetica autem curatio aptissime instituta non raro chlorosin sola sanaverit, ac vix morbus sit, in cujus cura-

tione tantam efficaciam quam in chlorosi remedia diaetetica praestent, illa medendi ratio per diaetam ante omnia aptissime instituenda est.

Praesertim necesse est, aegrota, si fieri potest, vitae sedentariae valedicat, ambulationes quotidianas sub aëre libero et puro, in regionibus amoenis et imprimis, si fieri potest, montanis aëre purissimo insignibus instituens. Proinde corporis exercitatio aegrotis imperetur, quae, licet fatiget, non eousque continuanda est, ut vires exhauriantur; compertum habemus, saltationes chloroticis esse utilissimas et non solum animum earum exhilarare, sed etiam corpus firmare. Somnus nec nimis brevis nec longior. De quare jam Hippocrates dixit: „Longiores vero somni calefacientes colliquant carnem et corpus diffundendo resolvunt et imbecillum reddunt." Prae omnibus arcendae sunt injuriae, quae cutis functionem offendunt, ut frigus et humor, quorum maxime impatientes chloroticae esse solent. Puellae chlorosi laborantes fruantur cibis nutrientibus, concoctu facilioribus, aromaticis, conditis, potu excitante et roborante, uti cerevisia amara, bene fermentata, aliquoties per diem; imprimis post coenam pauxillum vini boni exhibeatur. In chlorosi erethistica cibi conditi et potus spirituosi caute adhibeantur. In chlorosi torpida potus spirituosi et imprimis cerevisa amara fere sunt necessarii. Potus tepidus et relaxans, ut thea viridis, coffea arabica etc., est evitandus. Ab onania Venerisque usu nec minus

a lectione librorum de amantium fatis agentium, atque ab omnibus, quibus phantasia excitari possit, puella chlorotica exceatur.

De Veneris quidem usu Hippocrates dixit: „Equidem virginibus suadeo, quibus tale quid accidit, ut citissime cum viris conjungantur; si enim conceperint, sanae evadunt." Apta esse potest haec curatio in constitutione leucophlegmatica, sed non apud feminas constitutione erethistica praeditas. Animus moerore et tristitia occupatus hilaritate recreari debet.

β. Curatio therapeutica. Causae remotae summa diligentia sunt explorandae et si fieri potest, tollendae, quod morbum alunt et augent.

Cum processus digestionis debilitatus, indeque sanguificatio et chylificatio labefactae sint, summam diligentiam ad digestionem emendandam adhibeamus necesse est. Si sapor amarus, lingua muco albo, subflavo involuta, gravitas praecordiorum etc. adsunt, emeticum porrigere licet. De emeticis in chlorosi adhibendis van Swieten his verbis sententiam exponit: „Chlorosi laborat debilis puella totum corpus laxo oedemate tumet, pallent et frigent omnia. Dato prius leni vomitorio vel purgante ex pilulis Ruffi v. g. vel similibus, saburra mucosa in primis viis haerens educitur, ne aliorum medicamentorum efficaciam impediat. dein datur vinum medicatum ex optimis aromaticis et ferri limatura. Dum his utitur, incipit oriri major calor, levis quasi febricula; quo-

tidie incipit subsidere laxus partium omnium tumor in cuta, labiis, gingivis etc. nulla evacuatione facta praedominantis viscosi, renascitur solidus ruber sanguis; redit omnium functionum integritas." Si acidum viarum primarum adest, remedia absorbentia in usum vocanda sunt. Colluvies ex perversa secretione intestinorum orta, vel mucosa, vel verminosa, remedia salina, laxantia postulat. Ad assimilationem emendandam et augendam extracta resolventia praebenda sunt, ut extr. graminis tarax., chelidon., cicutae, cardui benedict., absinth. etc. Si chlorosis cum affectionibus hystericis vel spasticis est complicata, antispasmodica porrigenda sunt, ut castoreum, asafoet., valeriana, moschus, aq. lauroceras. etc. In chlorosi erethistica remedia, quae vulgo dicuntur roborantia, morbi initio male feruntur et saepius vomitu ejiciuntur, aut palpitationes cordis, cardialgiam, congestiones ad caput, anxietatem etc. efficiunt. Ad hunc erethismum sedandum acida mineralia, in usum vocanda sunt, ut e. g. elix. acid. Haller., acid. phosphoric. etc.

Chlorosis torpida aliam medendi rationem postulat, qua in forma morbi ob torporem praevalentem medicamina roborantia et stimulantia sunt porrigenda, velut card. benedict., trifol. fibr., fumar., absinth., rad. gent., calam. aromat. et paulatim ad efficaciora transeundum est, e. g. cort. chin. reg., quass. etc.

Nullum habemus efficacius medicamem ad san-

guificationem emendandam, quam ferri praeparata. De quo medicamento van Swieten ita disseruit: „Per ferrum ingestum et corporis exercitio augeatur in hac puella vis firmarum partium in fluida contenta, incipit tumens subsidere facies, amoeno roseo colore genae et labia perfunduntur, redit debitus vigor toti corpori."

Medicamentis internis ad chlorosin sanandam exhibitis, balnea non sunt praetermittenda, ut e. g. Pyrmont, Driburg, Spaa, Franzensbrunn, Schwalbach.

Nonnulli etiam medici electricitatem et magnetismum in chlorosi curanda permultum praestitisse contendunt.

VITA.

Natus sum Theophilus Augustus Hermannus Seydel die VII mens. Decembris a. MDCCCXVI in vico Neomarchiae, cui nomen est Neudorf, patre Christiano Augusto, verbi divini ministro, matre Henrietta e gente Lorenz, quam jam morte defunctam valde lugeo. Profiteor confessionem evangelicam. Primis litterarum elementis a patre, tunc habitante in vico, cui nomen est Zicher, prope Custrinum sito, imbutus sum. Tum gymnasium, quod Halae Directore Clar. Diek florebat, frequentavi. Deinde partim domi privatis institutionibus eruditus sum, partim iterum gymnasium Regiomontanum Neomarchicum et Gymnasium Fridericianum Berolinense adii. Tum petii institutum medico-chirurgicum Gryphiae, Directore Illustr. Berndt florens, ibique per tres annos et dimidium audivi hosce viros disserentes:

Ill. Hornschuh de botanice, quem eundem in excursionibus botanicis sequutus sum; Ill. Huenefeld de chemia et de physice; Ill. Seifert de materia medica, de pathologia generali, de semiotice, de arte fascias chi-

rurgicas alligandi, formulasque medicas rite concinnandi; Ill. Schulze de anatomia universali, de osteologia et syndesmologia, de anatomia pathologica, de physiologia; Ill. Berndt de pathologia et therapia speciali, de arte obstetricia; Cel. Kneip de chirurgia et de aciurgia, qui quoque operationes chirurgicas in cadaveribus instituendas me docuit. Institutum clinicum medicum et obstetricium Ill. Berndt, institutum clinicum chirurgicum Cel. Kneip frequentavi.

Deinde munere chirurgi in exercitu Borussico Sedini functus, Berolinumque missus, hic academiam medico-chirurgicam milit. per duo semestria frequentavi, et exercitationibus clinicis interfui virorum Ill. Juengken, Kluge, Dieffenbach, Wolff.

Examine maturitatis in gymnasio Berolinense sub Dir. Clar. August superato, almam universitatem Berolinensem Fridericam Guilelmam tempore vernali anni h. s. XLIV petii, cujus civibus me adscripsit t. t. rector magnificus Ill. Lachmann et inter medicinae studiosos me recepit Ill. Busch, t. t. decanus spect. Quo facto horum virorum doctissimorum audivi praelectiones:

Cel. Michelet de historia philosophiae rec., de logice et encyclopaedia scient. philosoph., quo eodem duce conversatorio et disputatorio philosophico interfui; Ill. Ermann de physice; Ill. Schlemm de anatomia organ. sensuum et de syndesmologia; Cel. Ideler de diaetetice; Ill. Hecker de historia medicinae.

Institutum clinicum medicum duce Ill. Wagner per duo semestria frequentavi. Praeterea Exper. Simon me docuit pathologiam generalem et anatomiam generalem et Cel. Boehm diagnosticen chirurgicam.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis, optime de me meritis, gratias ago quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso, coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Generationem aequivocam nego.
2. Calor corporis humani imprimis non gignitur in pulmonibus.
3. Sunt febres essentiales.
4. Omnes sanare morbos non licet.
5. Anima non est dividenda.
6. Corpore utimur cogitantes.